



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Svcqvet E Societate Iesv Via Vitæ Æternæ

Sucquet, Antoine

Antverpiae, 1630

Cap. 42. de extremo iudicio

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54856)

CAPVT XLII.

De quarto medio Meditationem atque affectus eius ampliandi, sive de Extremo iudicio.

COMPOSITIO LOCI, VT in imagine. ORATIO, ut supra.

*Cur iudicium futurum.
Matth. 24.
Actor. 17.*

3. Cor. 5.

*Isaia 29.
Terribile iudicium.
Joel. 2.*

Apoc. 6.

Sophon. 1.

PVNCTVM I. Considera Primò, diem aliquem constitutum à Deo, de quo nemo scit, in quo iudicaturus est orbem in æquitate, in viro, in quo statuit, & cur id decreverit attende, nepe 1. ut in iudicio particulari lata sententia promulgetur, 2. ut recipiat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum, & illud ipsum, velut instrumentum, similiter iudicetur. 3. ut appareant iusta sanctaque Dei iudicia: etsi jam prosperari & laudari malos, bonos opprimi & despici sinat. de quo agebat David laborasse se ut cognosceret, nec potuisse, donec novissima consideraret. Denique ut JESV Regi nostro dulcissimo Redemptori coram orbe terrarum restitueretur honor pro ignominia in loco illo, scilicet juxta Hierosolymam in monte Oliveti, ubi cum tormentis plurimis mors ei ignominiosissima illata fuit. Gaude, ô anima, gaude in Christo JESV tuo, quòd Pater omne iudicium dedit filio, ut omnes glorificet filium. Certè gratulari Domino nostro oportet de die illa, & gratias Deo Patri agere, & gaudere, quia iudicabit populos in æquitate, & arguet pro mansuetis terræ. Considera Secundò signa, quæ præcedunt; quomodo, ut Isaïas loquitur, veniet Dominus repente, & confestim, & visitabit in tonitruo, & commotione terræ, & voce magnâ turbinis & tempestatis, & flammæ ignis devorantis. Ante eum, ait Ioël, ignis vorans, & post eum exurens flamma, sol & luna contenebrati sunt, & stellæ retraxerunt lumen suum; immò stellæ cadent de cælo, & sol obscurabitur, fietque ut saccus cilicinus, & luna ut sanguis. O quàm iustè Sophonias exclamat: Vox dicit

dici Domini amara, tribulabitur ibi fortis; dies iræ, dies illa, dies tribulationis & angustię, dies calamitatis & miserię, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulę & turbinis, dies tubę & clangoris. Intuere orbem uti *Contemplatio mundi.* domam conflagrantem, ignem vastantem terram, maria, oppida, turres & superbiam sæculorum; elementa *2. Pet. 3.* calore solventur; terra autem, & quę in eā sunt opera, exurentur. Circumfer oculos: ecce, ut omnia involvat flamma vorans, & squallor & desolatio, & adhuc placere poterit mundus & species illius? Adhuc virtus erit aspera & pigebit unā horā laborare pro Christo?

Aspira, ut sup. pag. 8. Hęcine firma.

PUNCTVM II. Considera, tonitruum illud Angelicę tubę: Surgite mortui. vide, vide ut anima damnata maximo cum horrore corpus induere cogatur; sancta verò ingenti id faciat gaudio & colloquia utriusque, ac sensum tibi repręsentata bonę conscientię & malę, & hęc siste gradum; vide deinde, ut ex urbibus, mœnibus & speluncis prodeuntēs ingenti numero omnes ad vallem Josaphat contendant, & eos omnes hęc contemplatus discerne, si potes, Regem à mancipio, divitem à paupere, sapientem à puero. Vbi tunc erit favor *Iudicii forma.* hominum, opes, gloria, sapientia hujus sæculi? & detestare quidquid istiusmodi est, & à perfectione te remotatur & virtute N. & contremisce. Aspice, ut separentur oves ab hęcdis, boni à malis, triticum à zizaniā; & hos ejulantes, in clamantes montibus, Cadite super nos. *Apoc. 6.* O quām tristis, luctuosa, lamentabilis separatio! & ubi tu eris, quibus adjungēre? certē, quibus jam volueris. O quid non oprabit infelix homo fecisse, ut in illā die bonis societur! sed frustra lacrymę, preces, ejulatus. *Luc. 14.* Tunc dicetur humili, Ascende superiūs; diviti & potenti & superbo, Da huic locum. heu? quanto cum rubore descendet? At verò tunc stabunt justi in magnā *Sap. 5.* constantiā adversus Monarchas, Reges ac Principes terrę, trementes & palpitanes, qui se angustiaverūt,

& qui abstulerunt labores eorum, dicentes intra se, & præ augustiâ spiritus gementes: Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij: nos insensati vitam illorum pauperem, humilem, afflictâ, æstimabamus insaniam, & finem illorû sine honore; ecce, quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos fors illorum est. *Hæcine firmâ*, ut sup. p. 7. vel *O Iudex æquissime*, pa. 588. Inter hæc veniet Dominus cum potestate magnâ & majestate, veniet in sanctis millibus suis, cum sanctissimâ matre suâ, aridebuntq; bonis, averfabuntur malos. Quid tunc optabis? quo oculo aspici? Apparebit mox signum filii hominis splendidius sole; & levabunt capita sua filii Dei, gaudebuntque crucis & mortificationis imitatores, qui jam carnem suam crucifixerunt cum concupiscentiis suis: exultabunt incredibili gaudio, videntes se scriptos, ô Jesu dulcissime, in manibus tuis, & vulneribus tuis sacratissimis: erubescant, & contabescant adversarii tui. quid eligam tunc fecisse?

Credo tibi, ut suprâ pag. 7.

*Conscientia
patebit om-
nibus.*

Deinde aperientur libri conscientiarum, & manifestabuntur consilia cordium. tunc existimationes, opinioniones, secretissima hypocrisis, perfidia, intentiones obliquæ uniuscujusq; apparebunt. quanto, Deus bone, pudore malorum & confusione? Vide an omnia arcana cordis omnibus patere velis; vide quid in libro illo jam scribas, virtutes an vitia? nihil enim opertum, quod non sciatur. Mox accusationes sequentur terribiles, sed quod super omnia erit amarissimum, finge te, audire quomodo tum omnibus & tibi Christus exprobrabit beneficia; Sancti adhortationes & exempla; dæmones suggestiones & scelera; creaturæ omnes abusum sui. Scrutabitur Dominus Jerusalem in lucernis. magnus verè dies Domini, terribilis valdè. quis sustinebit eum? ardens furor ejus, & gravis ad portandum. labia ejus repleta sunt indignatione, & lingua ejus quasi

*Matth. 10.
Accusatores
terribiles.*

Sophon. I.

Isaia 30.

quasi ignis devorans, spiritus ejus velut torrens inundans ad perdendas gentes. stabit peccator, & videbit intus conscientiam accusantem, dæmoniaque undique parata ad prædam: quò fugiet? infrà infernus habit, cælum suprà clausum, & judicem iratum intuebitur; quò ibit?

*Peccatoris
infelix status.*

O Domine qui, &c. ut infr. pag. 589.

PUNCTVM III. Considera quomodo tandem convictis improbis, ita ut negare nequeant, & bonis laudatis feretur sententia irrevocabilis de æternitate longissimâ & interminabili, & incomprehensibili, de felicitate summâ, & suppliciiis sempiternis. Primò, dicit benignissimus IESVS: Venite (de cruce & tribulatione, scilicet) benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi, ô quantum, putas, stupebunt illi & omnes Angeli liberalitatem, & infinitam Dei charitatem! Contrà verò audient improbi: Discedite à me (scilicet omni bono, Patre & Deo vestro) maledicti in ignem æternum. quia ad horam, ad momentum servare nolulistis mandata. Expende singula verba, & si potes adhuc, thesauriza tibi iram in die iræ. Mox fiet executio, & ibunt hi in vitam æternâ, illi autem in ignem æternum. Age, junte te modò bonis plenis gratulatione, & experire, quo gaudio de virtute, de securitate æternâ fruantur. Modò malis accede, & vitii, ac eorum amaritudinem inexplicabilem quòd separantur æternum à Deo, cælo, sanctis amicis, expende, & vide quo oculo cælos & amicos adspiciant; audi tristissimum vale, quod amicis cognitis dicent, æternum: & mox terra dehiscens involvit ejulantes & horrendum stridentes permixtos dæmonibus infelicissimos homines, inter quos multi Reges, potentes, Prælati, nobiles, ambitiosi, luxuriosi. Sta, & æstima librâ justâ mundum, & concupiscentias ejus; ac vide quomodo evades tanta pericula. Inde redi ad electos, & cum iis mente in cælum abi: iisque gratulare.

*Matth. 25.
Sententia
bonorum.*

Rom. 2.

lare.

*Pfal. 142.**Isaia 10.**Rom. 8.*

lare. Postremò ad Dominum **JESVM**, agnum mitissimum, longanimum modò & patientem, & roga cum sic emerit & redemerit te, ut numquam projiciat te à facie suâ, obsecro te bone **JESV**, ne intres, quæso, in judicium cum seruo tuo: sed fac mecum secundum magnam misericordiam tuam: quia, scio, scio non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Quid facietis, ait Propheta tuus, in die visitationis & calamitatis, de longè venietis? ad cuius confugietis auxiliû? ah! Domine, tu scis, ô charitas Deus meus verè, nō est auxiliû, neque spes, neque solatium, nisi in te, susceptor meus es tu, refugium meum, Deus meus, sperabo in te. Tu liberabis me à laqueo venantium, & à verbo illo aspero, ite à me. Nolo gratiâ tuâ, vel ad momentum unicum, nolo, Domine, separari abs te, nolo derelinquere te fontem aquæ vivæ, neque nunc, neque in æternum. Quis enim me separabit à charitate tuâ, an tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? certus sum quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit me separare à charitate tuâ.

Exercitium brevius.

*Isaia 55.**Iob. 9.**1. Reg. 15.*

O Iudex æquissime, credo tibi, & spero in te, & toto corde te diligo. O quàm mendaces filii hominum in stateris! quantum exaltantur cogitationes nostra à cogitationibus tuis! Tu verò iudicas justè, qui scrutaris cor & renes. Sapiens corde es, & fortis robore, quis restitit tibi, & pacem habuit? quomodo turbabitur in die illâ tremendâ, cum pronuntiabitur à te beatus pauper, humilis, mitis, & patiens? Quid respondebo tibi si nunc virtutes illas, & occasiones neglexero, & quomodo confundar coram orbe terrarum? O Redemptor mi, ne intres in judicium cum seruo tuo, doleo enim ex corde de peccatis meis, & cū sciam scriptum: Triumphator in Israël non parces, & poenitudine non flectetur,

fectetur; *supplex te rogo, o bonitas, nunc in tempore hoc dum tempus est miserendi, miserere mei secundum magnam misericordiam tuam. Amen.*

Exercitium longius.

O Domine, qui mihi adstas, & vides gemitum meum & timorem, quis mihi tribuat, ut in inferno protegas me, & abscondas me donec pertransseat furor tuus! Venies enim tu, agne mitissime, quasi leo de tribu Iudâ; quasi ursâ raptis catulis, occures impiis, qui nunc monita tua & inspirationes ad virtutem contemnunt; & cum revelabitur dies ille, illuminabuntur abscondita tenebrarum, & manifesta erunt consilia cordium. Vide nunc, obsecro, o Salvator si via iniquitatis in me est, & deduc me in viâ aternâ. Inspice qui scrutaris cor meum, si quid diligam præter te, aut non propter te, & ejice illud. Templum enim sum tuum, & altare tuum, & habitatio tua, in quâ optarem etiam millies hodie te suscipere & amplecti. Noli permittere ut domus patris tui fiat spelunca latronum. O hypocrita, o luxuriose, avare, ambitiose, recordare, id quod jam versas, animo tuo patebit orbiterrarum in die illâ, quando erit peccatori tribulatio magna, qualis non fuit ab initio neque fiet: isti verò qui virtutem colunt, latrabuntur sicut in messe, sicut victores dum dividunt spolia. Iam ad modicum humiliari, & tecum novissimum locum tenere, esurire, sitire, pati, despici grave est; sed tunc gloriosa erit humilitas, & fiduciam dabit coram majestate tua, o Salvator & Redemptor mi. Iam animi motus N. sic frangere, alterius nutum sequi, molestum; sed tunc erit obedienti & mortificato laus à te coram orbe terrarum: Tunc patientia cum sanctâ cruce sublegetur, murmurator cum reprobis ejulabit. Tunc afflicti levabunt capita sua, quoniam appropinquabit redemptio eorum. Tunc gloriosum huius seculi mancipium vinculis stringetur aternis, & flammis tremendis circumdabitur. Ignis enim in conspectu tuo exardescet, & in circuitu tuo tempestas valida; sed in dexterâ manu refrigerium erit, & corona his qui diligunt te, & querunt te ex toto corde suo. O quantum optabit tunc improbus inter bonos numerari! sed frustra, qui enim jam ad virtutis monita ob-

surdescit,

Iob. 14.

Osca 13.

Applicati
ad Com-
munionē.

Psal. 49.

- Ecclef. 1.** *surdescit, cum vitio flammis deputabitur æternis; & ubicumque*
Malach. 3. *ceciderit semel arbor, ibi manebit, sive ad Austrum, sive ad A-*
quilonem. Quis poterit cogitare diem adventus tui: quis enarra-
re, quàm tristis separatio à te omni bono & electis tuis in ater-
num? & hoc, quia ad momentum, ad modicum in hoc vitæ cur-
Sap. 5. *riculo impii noluerunt laborare. Lassati sumus, inquit, in viâ*
iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles; viam
autem Domini ignoravimus. quid nobis profuit superbia, aut
divitiarum jactantia quid contulit nobis? transferunt omnia illa
Apoc. 9. *tamquam umbra, & virtutis quidem nullum signum valuimus*
ostendere, in malignitate autem nostrâ consumpti sumus. Que-
rent isti mortem, & non invenient eam; & desiderabunt mori,
& fugiet mors ab eis. Erit verò jucunda & suavis retributio bo-
Erod. 15. *norum, quibus modicum tribulatis æterna gloria à constitutio-*
ne mundi parata tribuetur. Tunc cantabunt tibi, Domine JESU,
canticum novum; quia gloriosè magnificatus es in eis: equum &
Apoc. 21. *adscensorem, & qui illos tribulabant, dejecisti in miseriarum*
Apoc. 14. *mare, sed maximè, quia neque luctus, neque dolor erit ultra,*
neque cadet super illos sol, neque æstus, & amodò dicet Spiritus,
ut requiescant à laboribus suis, & epulentur in conspectu tuo.
Concede mihi, benignissime JESU, per viscera miserarum tua-
rum, & charitatem quâ dilexisti nos, sic jam vivere, virtutem
N. colere, ut in æternum te fruatur & cognoscam, & amem toto
corde, & totâ animâ meâ. Amen.

Praxis ad judicii memoriam recolendam.

*Dies judicii
dies fori.*

*Vanitas
mundi.*

*Nota reme-
dium tenta-
tionum.*

PRIMA. Considerare, quæ hîc videmus splendere, æstimari, quo precio tunc æstimanda sint, cum Dominus ad judicandum venerit: ibi enim erit vera libra, & precium omnium.

Secunda. Hæc omnia, quæ videmus, respicere, ut igne illo terribili consumenda, & contemptum mundi sæpè excitare, æternisq; incumbere.

Tertia. Sæpè scrutari cor suum, & ita secum loqui: Ecce quod nunc cogito, ago, patebit orbi terrarum.

Quarta. Cogitare omnes tunc pares futuros, & nihil gravius fore, quàm ob unum aliquem hominem maximè Deo detestabilem, illi injuriam magnam intulisse, ut faciunt mundani.

Quinta.

Quinta. In omni mortificatione cogitare, quid præstet, coram orbe toto confundi, an paucis, vel uno confessario.

Sexta. Aliquando cum timorem Domini sanctum excitare *Omnia nos* libet, videre, ut omnia nos iudicii commonefaciant. Nā quot *possunt face-* Religiosos videmus, tot iudices; quot creaturas, tot accusato- *re memores* res, si illis abutamur: terra, carcer est, quo claudentur *iudicii.* reiaer, sedes iudicis tremenda; quoties strepitum audimus, fragores attendamus cælorum; quoties cantus, lamentationes damnatorum; si quid odoramur, universi ambustionem cogitemus. Denique videamus qualia futura sint, quæ hîc videntur, &c.

Septima. In omni electione officii aut virtutis, cogitare quid tunc fecisse voluissimus. Nunc fascino oculi nostri velantur, & iudicium ac ratio excæcantur; verum tunc insensati *Sap. 50* suam videbunt insaniam, & dicent. Nos vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore; ecce, quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos fors illorum est. *Dignatus es, ut sup. pag. 10.*

IACVLATORIAE,

Confuge timore tuo carnes meas: à iudiciis enim tuis timui.

Iustitia tua sicut montes Dei: iudicia tua abyssus multa.

Quis novit potestatem ira tua, & præ timore tuo iram tuam dinumerare?

Non intres in iudicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnes vivens.

Dies ira, dies illa, dies tribulationis & caliginis, dies nebula & turbinis, dies tubæ & clangoris.

Magnus dies Domini, & terribilis valde, & quis sustinebit eum?

Psal. 118.

Psal. 35.

Psal. 89.

Psal. 142.

Soph. 1.

Ioelis 2.



VIGE.

VIGESIMÆ PRIMÆ IMAGINIS

ANNOTATIO.

Si dubitas in virtutis electione, vide an in omni æternitate non eam optabiste elegisse.

Ante omnia A æternitatem attende, & quomodo Sancti in celo, ac reprobis in inferno optent melius virtutem coluisse. O quam longa est, cuius annos neque B arena, neque C gutta maris adæquant! ubi semel ceciderit D arbor, siue ad Austrum, siue ad Aquilonem, ibi semper manebit: neque erit ultra E tempus, aut F occasio, aut G mors, nisi æterna. en, ut vel H unum peccatum hominem inferno claudat. O quanti damnatus vel I horulam emeret, si pœnitentiam agere posset! sed frustra est, atque à damone Kirridetur. Vide igitur quid & quâ L in æternitate jam scribas: semel enim cogitata, dicta, facta, æterna sunt, & infecta esse nequeunt. Vtinam, utinam saperes!

CAPVT